Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26117
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Hi signantur animalibus qui saltibus gaudent. xpe comparatur. quia predictis saltibus currens. super omnes iustos exaltatur. Dicunt adolescentule. Ubi nunc est ille. Dicit sponsa. En ipse stat post parietem nostram. respiciens per fenestras. prospiciens per cancellos. Similitudo est ab illo. qui cubiculum amice intrare non ualens. per fenestram ei loquitur. Paries est murus. qui domum a domo separat. et significat originale peccatum. uel mortalitatem. que de peccato uenit. quod nos a deo separat. Quem murum cepit adam edificare. et omnis posteritas eius laborat eum consummare. Hunc iudei multis peccatis edificauerunt. et ideo xpm lapidem angularem preciosum electum. qui eos a peccatis prohibuit reprobauerunt. in quem non credentes offenderunt. et corruerunt. Sed hic lapis in montem magnum creuit. super quem syon ciuitas regis magni edificari cepit. quia omnes in se credentes. in se ciues recepit.

Qui dicit. In deo meo transgrediar murum. quia nullum fecit peccatum. Post hunc murum xpc stetit. ut eum impelleret. quia mortalis factus est. ut originale peccatum destrueret. Qui stat. laborat. et xpc in destructione huius muri in tantum laborauit. quod etiam sanguinem sudauit. Fenestre que lumen in domum mittunt. sunt apostoli. qui lumen congnitionis dei in ecclesiam domum dei fuderunt. Cancelli .i. parua foramina in pariete. per que sol radios suos uibrat. sunt prophete. per quos sol iusticie radios sue noticie mundo inmittebat. Cancelli etiam sunt arte in anteriori parte domus. unde dicuntur cancellarii. id est prolocutores regis. qui de cancellis edicta regis prolo

cancellos